animi inter homines nactum ſcimus ex fabulis. Prodeat
nunc et ſuos triumphos, ſuas victorias, ſua trophæa depræ-
dicet, qui Buſiridem in Ægypto ſævientem, Antæum in
Mauritania, invictum, in Hiſpania Geryonem, in Thracia
Diomedem ſuperaverat; nonne is ab Omphale ore blando,
vibrantibus oculis, emollito ſermone, et totius corporis motu,
delicatiſſima teneritudine ſoluta, fœdum in morem vinculis
aureis irretitus ē dum linum carpſit, et non tam colum quam
et filum Deræ ſuæ, quam æternum ſibi dedecus nerevit.
Prodeat, qui Cerberum, Hydrasque domuerat; Theſeus nonne
is uno mulieris alloquio fractus, uno ictu oculorum devictus,
virtutis omnem memoriam abiecit, ut ſerviret libidini
fœdam ſervitutem. Nonne quem infernales furiæ inmor-
talesque beſtiæ vincere non potuerunt, unus oculus devicit!
omnesque, eius virtutes ſudoribus acquiſitas obſcuravit.
Produco vobis viſendum potentiſſimum militiæ ducem Ho-
lofernem, videtis quam truculento ac terribili aſpectu
prodeat? ut ignitis ardoribus ſcintillent lumina? ut
toto ex ore terrores emicent? ut anhelans pectus ſpiri-
tum iaciat? Hunc, qui mortem ipſam atrocitate